



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque

Pallavicino, Sforza

Romæ, 1649

Cap. 5. An gratia sufficiens omnibus detur? vbi de potentiâ collectiuâ & disiunctiuâ, physicâ, & morali, proximâ, & remotâ: Et de illo effato facienti quod in se est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38987

De Diu. Gratià Cap. V. 421
in ipso ingenio diuinum naturali-
tèr lumen intelligentiæ, quo mo-
ueantur ad fidem, si congrua suis
mentibus vel audiant verba, vel
signa conspiciant.

CAPVT V.

An Gratià sufficiens omnibus de-
tur? ubi de potentià collectiuà
& disunctiuà, physicà, & mo-
rali, proximà, & remotà: Et
de illo effato facienti quod in
se est.

79 **Q** Vicunque habet liber-
tatem, habet sufficien-
tes vires ad non pec-
candum. Peccatum enim sup-
ponit præceptum, & Deus præ-
cipiens videt distinctè omnes
casus possibiles, ad quos præ-
cep-

ceptum extendi velit. Porrò si vult præceptum extendi ad casum, in quo videt mihi impossibilem obseruatiã illius, utique vult, & præcipit aliquod impossibile simpliciter, hoc est coniunctionem ex meã obseruantiã, & impotentiã obseruãdi; adeoque vult, & præcipit chimeram. Quapropter in ordine ad rem nostram inutilis est illa distinctio de *impossibili simpliciter*, & de *impossibili mihi*.

30 Neque valet respondere, illam impotentiam non excusare, quia est culpabilis, cum sit poena vel peccati actualis, vel originalis. Nam contra est primò, quia tota illa culpa, & poena præcedit dictamen conscientie, per quod ego hic, & nunc

cognosco me obligari ad non peccandum. Non possum autem cognoscere hìc, & nūc me obligari ad id, quod hìc, & nūc est mihi impossibile. Et ita ille, qui ægrotat ex propria culpa, non potest nouo præcepto obligari à Principe ad militandum. Quia præceptum illud esset planè inutile; quod est contra essentiam præcepti.

Denique huc spectant quæcūque diximus tum ad probandam nostram libertatem in singulis actibus deliberatis, tum ad ostendendum peccato originali naturam non esse eneruatam in proprietatibus debitis, tum denique ad probandum negationem cogitationis congruæ, quæ congrua est, nunquam esse poenam peccati præteriti.

si Ne-

81 Neque verò datur vnquam, aut dari potest necessitas disiunctiua in aliquo instanti ad plura peccata. Hinc enim sequeretur placere Deo efficaci voluntate beneplaciti, vt ille homo peccet hic, & nunc. Ergò esset inhonestum non peccare. Inhonestum enim est facere id, per quod frustretur Dei voluntas, atque ità Deus non sit Deus. Rursùs non solùm homo tenetur non facere hoc, vel illud peccatum, sed tenetur seruare perfectam innocentiam; si enim ad hoc non tenetur; ergò non intelligitur *peccare vt sic* per hoc, quòd intelligatur *peccare vt sic*. Ille enim peccat, qui facit id, quòd non facere tenetur.

82 Confirmatur primò, &

ex-

explicatur, non enim potest intelligi, quòd aliquis non teneatur ad totum id, ad quod tenetur; sed totum id, ad quod tenetur nō est, nisi perfecta innocentia, & negatio cuiuslibet peccati. Ergò ad hanc tenetur quilibet homo: & tamen nemo potest teneri ad id, quod est sibi impossibile, vt ostendimus. Ergò perfecta innocentia est illi homini possibilis.

83 Confirmatur secundò, hæc eadem ratio; nam quicumque obligatur ad aliquid, obligatur ad illud in sensu composito cum omni alià obligatione, quam habet. Aliòquin obligaretur disiunctiuè, & sic posset impunè omittere alterutrum. Ergò homo in sensu composito cum obligatione abstinendi ab

om-

omnibus peccatis præter peccatum A obligatur abstinere à peccato A. Ergò obligatur ad id, quod est sibi impossibile in sententià aduersariorum.

84 Neque etiam dari potest necessitas physica peccandi in aliquà latitudine temporis. Primò probatur, quoniã Deus esset author illius necessitatis. Ergò vellet omne id, quod est cum illà necessariò cõnexum; Ergò non posset amare perfectam innocentiam illius hominis, quippè obiectum impossibile in sensu composito cum eo, quod ipse Deus efficacitèr vult. Ergò recurrit illud argumentum, quòd hic homo non intelligitur peccare, vt sic per hoc, quod intelligitur peccare vt sic: nec obligaretur illo præcep-

De Diu. Gratiâ Cap. V. 427
cepto Christi: *noli amplius peccare*.

85 Cōfirmatur primò, quoniàm, vt probabimus in materià de charitate, non possunt dari in tempore infinita exercitia libertatis distincta, ac proindè, si daretur hæc necessitas disiunctiua, deberet aliquandò assignari vltimum exercitium libertatis, in quo supposità innocentia præcedente homo esset physicè necessitatus ad peccandum, quod iam probauimus implicare.

86 Confirmatur secundò, quoniàm omnis necessitas disiunctiua debet tandèm reduci ad necessitatem determinatã conditionalem faciendi vnum, si non fiat aliud. Ergò omnis necessitas disiunctiua est talis,
vt

vt sit assignabile aliquod instās,
in quo sint determinatę vel de-
terminabiles omnes alię partes
disiuncti distinctę ab A, ex. gr,
ad hoc, vt si illę non dentur, de-
tur necessariò A. Cęterùm sicut
nō est intelligibile, quòd aliquis
obligetur disiunctiuè morali-
tèr pro hoc, vel illo tempore,
& tamen non obligetur vnquā
pro aliquo tempore determi-
nato, vt alibi videbimus, itā
implicat, quòd natura ipsa ob-
ligetur physicè ad aliquem ef-
fectum disiunctiuè ponendum
pro aliquo tempore; & tamèn
quòd neq; vnquàm obligetur
determinatè ad illum ponen-
dum, neque obligetur ad hoc
determinandum.

87 Et quādòquidem datur
duplex potentia; alia, quę dici-
tur

tur *physica*, sine quâ implicat contradictionem poni effectū, alia, quæ dicitur *moralis* non quatenus *morale*, significat mores & honestatem, in qua acceptione modò loquuti sumus, de obligatione morali; sed quatenus est talis potentia, sine qua effectum poni non est quidem absolutè impossibile, sed adeò difficile, atq; improbabile, vt re ipsà nunquam ponatur, adeòque potentia *physica* sine *moralis* nullum præbet fundamentum prudentis spei, vel formidinis, sed in ordine ad mores humanos perindè æstimatur, ac si nulla potentia esset; quando, inquam, datur hæ duæ potentię in ordine ad operandum, asserimus quemlibet hominem a habere vires sufficientes

tes non solum physicè, sed etiã moralitèr ad consequendam salutem.

88 Id autèm probatur secũdũm duplicem partem, primò quatenus contrà eos, qui negãt gratiam sufficientem distinctã ab efficaci, ostẽdemus aliquos, qui peccant, posse non peccare. Et hũc spectat illud Matt. 23. *quoties volui cõgregare filios tuos, sicut gallina cõgregat pullos suos, & noluisti!* non enim dicitur velle aliquid, qui non ponit omnia media sufficientia moralitèr, sine quibus videt illud fieri non posse. Item illud Is. 5. *quid est quod debui ultrã facere vinee meae, & non feci?*

89 Secundò quatenus à nobis asseritur hæc potentia moralitèr sufficiẽs in omnibus ad-

ul-

De Diu. Gratiâ Cap.V. 43
ultis. Et hoc habetur ex illo
Eccl. 15. *non dixeris per Deum*
abest; at verò per Deum abes-
set, si nō daret quod moralitèr
sufficit ad apprehendendam
iustitiam, de quo ibi est sermo.
Cōfirmatur ex Trid. sess. 6. c. 3.
in diuino auxilio, inquit, firmissi-
mam spem collocare, & reponere
omnes debent. cur autèm debēt,
si sciant Deum negare multis
auxilium moralitèr sufficiens!
Accedunt Patrum testimonia,
quæ utpotè ab alijs congesta
pro nostri Instituti breuitate
prætermittimus.

90 Hæc gratia sufficiens
datur primò quidem omni-
bus iustis, vt habetur ex Conc.
Arausic. can. 22. *Hoc secundum*
fidem Christianã credimus, quod
acceptã per baptismum gratiã
om-

*omnes baptizati Christo auxiliã-
re, & cooperante omnia, quæ ad
salutem pertinent, possunt, & de-
bent, si fidelitèr laborare velint,
adimplere. Confirmatur ratio-
ne; nam gratia est vera amici-
tia cum Deo. Pertinet autèm,
ad debitũ veri, & sinceri amici
non constituere alium amicum
in necessitate morali recedendi
ab amicitia.*

91 *Rursus hæc gratia mora-
litèr sufficiens datur etiam om-
nibus peccatoribus ad resurgẽ-
dum, si superuiuant pro aliquo
notabili tempore. Probatur ex
secundà Petri tertio: patientèr
agit Deus propter vos, nolens ali-
quem perire, sed omnes ad pœni-
tentiam reuerti. Item ex Pro-
pero ad obiectionem 25. Vin-
centianam: nemini correctionis
adi-*

adimit viam, nec quemquam boni
possibilitate dispoliat. Non tamen
omnes peccatores habent sem-
per gratiam proximam sufficiē-
tem datam; sed vel datam, vel
oblatam, hoc est habent gratiā
ad aliquod bonum opus, quod
si facerent, Deus daret illis gra-
tiā proximam sufficientē ad re-
surgendum. Imò probabile est
Deum, qui est *adiutor in oppor-
tunitatibus*, numquam negare
sufficientem, excitationem su-
pernaturalem, quoties occurrit
aliquod obiectum proportiona-
tum, si videt illam cogitationē
fore vltimam vitæ illius homi-
nis. Sic enim ampliùs de diuinā
misericordiā sentimus, & me-
liùs saluatur quomodo verum
sit illud quod Deus dicit: *ego
sum ad ostium, & pulso.*

92 Hæc gratia saltem obla-

T ta,

ta, & moraliter sufficiens ad salutem datur etiam omnibus infidelibus, pro quibus omnibus mortuus est Christus, secundum illud Pauli 1. ad Tim. 2. *Vnus est Deus, vnus & mediator Dei, & hominũ homo Christus Iesus, qui dedit redẽptionẽ semetipsũ pro omnibus.* Item in eadẽ ad Tim. 4. *Speramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maxime fidelium.* Nec sufficit responsio dicentium Christum mortuum esse pro omnibus, quantum ad pretium mortis, non quantum ad applicationem; nam æquẽ in hoc sensu posset dici mortuus pro Dæmonibus. Accedunt Patrum testimonia, quæ latè à recentioribus adducuntur.

93. Et sanè si Christus nullo modo mortuus esset pro infidelibus, ita vt ne gratiam quidem
phy-

physicè sufficientem illis impetrasset, vt aduersarij contendūt, non peccarent illi infideles, qui proposita sufficienter exteriùs fide, non credunt; nec enim haberent vires interiores ad credendum. Quòd si aliquandò S. Augustinus, & S. Thomas asserunt in aliquibus defectum, gratiæ sufficientis esse poenam, peccati saltem originalis, explicandi sunt vel de gratià sufficienti, quæ deest paruulis morientibus sine baptismo; non verò de gratià sufficienti, quæ desit adultis ad vitandas poenas Inferni, atque adeò ad consequendam vitam æternam, quæ cum hac vitatione coniungitur necessariò in adultis; vel de gratià sufficienti proximè; non autem de gratià sufficienti re-

motè. Quòd enim ex peccato præcedenti, præsertim ex solo originali, non existiment negari vires sufficientes adultis ad vitandam damnationem æternã, ex alijs eorum dictis apertè colligitur.

94 Quòd si Christus impetrauit omnibus auxilium physicè sufficiens, vtique impetrauit sufficiens etiam moraliter; aliòquin non fuisset verum beneficium; quippè à nemine prudenter desiderabile; vtpotè nullam præbens spem salutis, & augens reatum, Ideò verum est illud axioma: *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam* intelligendo, *quod in se est*, independenter nō ab omni gratiã, sed à gratiã supernaturali. Ita S. Th. q. 14. de veritate ar. 1. ait

ait si aliquis in syluis nutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est credendum, quod Deus ei, vel per internam inspirationem reuelaret mysteria, vel ad eum prædicatorem dirigeret.

95 Hęc dispositio, quamuis habeatur ex viribus gratiæ per Christum, sine quo nihil obtinemus utile ad salutem, non est tamen supernaturalis, nec meritoria alicuius supernaturalis boni: omne enim meritum, & omne supernaturale incipit à fide, vt ostendemus in tractatu de Caritate. Nec tamen illa dispositio antecedēs est merè negatiua, & tanquam remouens prohibens: nec enim sufficeret ad impetrandam infallibiliter gratiam proximam sufficientē,

T 3 quod

quod homo prò toto aliquo tē-
pore dormiret, sed ad eam gra-
tiam supernaturalem obtinen-
dam valdè conducunt actus
naturales honesti.

96 Et ideò S. Thomas 1.2,
q. 189. ar. 6. docet si aliquis in
primo instanti rationis conuer-
tatur in Deum tanquam in
finem, eū obtinere gratiam, per
quam iustificetur; quod porrò
non potest intelligi de conuer-
sione in Deum tanquam in fi-
nem supernaturalē; Quis enim
putet D. Thomam credidisse,
omnibus planè pueris in toto
mundo Deum in primo instan-
ti vsus rationis infundere cog-
nitionem supernaturalem, & suf-
ficientem ad actum fidei? In-
telligendus ergò est, vt intelli-
gunt præstantissimi Thomistæ,
quod

quòd si cōuertatur ad bonum honestum, constituendo illud sibi finem naturalem, Deus deinde tribuat illi cognitionē sufficientem supernaturalem; ergò in sētentià S. Th. illa positua conuersio naturalis ad bonū prodest in ordine ad obtinendam gratiam supernaturalem. Hoc idem videtur elici ex Paulo dicente veteres Philosophos fuisse inexcusabiles, quia cum eognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, & gratias egerunt. Vbi vides semper requiri non puram carentiam peccati, sed aliquam actionem honestam positiuam.

97 Et ratio à priori est, quoniam pura abstinentia à peccato præscindendo ab hoc quod sit honesta, & laudabilis, non

magis placet Deo si sit libera, quam si sit necessaria. Vtraque enim habet æquale bonum, negatiuum; ergò non deberet magis requiri tanquam infallibiliter trahens donum gratiæ supernaturalis, quòd homo habuerit diuturnam innocentiam liberam, quam quòd habuerit diuturnam innocentiam necessariam (qualis est in infantia, vel in amentia) si eiusmodi innocentia in ordine ad hunc finem non consideraretur, nisi vt mera exclusio mali. Quod confirmatur; nam aliòquin si requireretur longa carentia peccati grauis libera prescindendo ab hoc quod esset honesta, nec ne, sequeretur, quòd ex infallibili Dei lege, melius esset dispositus in ordine
ad

ad consecutionem gratiæ supernaturalis homo, qui fecisset plurima peccata venialia sine vlllo actu bono, quam homo, qui ex defectu libertatis, aut aduertentiæ, nullum fecisset peccatum, neque mortale, neque veniale, alter enim haberet longam innocentiam liberam, alter non haberet. Nee dicas requiri longam innocentiam liberam etiã à peccatis leuibus; nam hæc est moraliter impossibilis; ergò si ea requireretur, non vitaretur illud absurdum, quod non esset in potestate morali infidelium vitare pœnas inferni.

98 Dicunt aliqui, bona opera naturalia connecti cū collatione gratiæ supernaturalis, nō tāquã merita, sed ex pacto inito à Deo cum Christo; sicut ex simili pacto

T s cto

cto connectuntur cum gratia habituali actiones Sacramentales. Sed hæc doctrina, nisi magis explicetur, nõ satisfacit; nam quoniam illæ actiones Sacramentales nullam habent de se connexionem cum gratia, nemo prudens eam connexionem suspicaretur, nisi ex reuelatione Dei. At bona opera naturalia esse infallibiliter connexa cum collatione gratiæ proximè sufficientis ad iustificationem, colligunt Scholastici ex ipsa bonitate Dei, & ex rei congruitate; ergò ideò colligunt, quia talia opera possunt prudenter mouere Deum ad dandam gratiam; ex quo videtur inferri quod sint merita de congruo.

99 Nec etiam soluirur difficul-

ficultas ab ijs Recētioribus, qui dicunt per ea bona opera hominem non mereri gratiam, sed mereri illas occasiones externas, quibus Deus ex generali elevatione naturæ affixit infallibile collationē gratiæ, ex.c.prædicationem exteriorē, &c. nā contra est, quia non merentur illas occasiones externas secundum puram bonitatem physicam, quā hæ habent: hoc enim modo non sunt æstimabiles, neque optabiles, adeòque non possunt esse præmium; ergò merentur illas tanquam bonas: ex connexionē illa, quam habent cū gratià per infallibilem legem Dei. At idem est mereri A, ac mereri B, tanquam infallibiliter trahens A. aliòquin poterit dici, quod aliquis per leuif-

simū opus naturale mereatur nō
quidem donum perseuerantiæ,
sed mortem, dum est in statu
gratiæ, quippè quæ mors est ali-
quod naturale.

100 Dicimus ergò bona
opera naturalia ante fidem cō-
ducere aliquo modo positiuè
ad collationem gratiæ superna-
turalis sufficientis. Et quando
SS. Patres videntur secus loqui,
manifestè agunt non de gratià
sufficienti, sed de gratià efficaci,
& congrua, quā Semipelagiani
cōtendebāt dari ex meritis præ-
cedentibus, & non ex mera Dei
liberalitate, nè aliòquin Deus
esset acceptor personarū. Quo-
modo autem bona opera na-
turalia habeant hanc cōnexio-
nem, & non vt meritum con-
gruum, sic explicamus. Si post
pec-

peccatum originale natura nō
fuiſſet redempta, debuiffent ho-
mines habere vires ſaltem phy-
ſicas ad vitandam poenam ſen-
ſus æternam. Imò veriſimile
eſt, quòd ex Dei miſericordia
habuiſſent etiam vires morales.
Si ergò feciſſent multa bona
opera naturalia, vtique per ea
meruiſſent, vt Deus abrumpe-
ret illis vitam, atque ita, vt eos
auferret ex periculo commit-
tendi peccatum mortale; & ſic
incurrendi in poenam æternam
ſenſus. At poſtquam Chriſtus ob-
tinuit iterū eleuari naturam ad
finem ſupernaturalem, coniun-
cta fuit ex lege Dei extrinſecà
ſed inſallibili vitatio Inferni in-
adultis cum conſecutione vi-
ſionis diuinæ; & quoniam me-
rita naturalia non extendūtur
ad

ad

ad hanc, ideò neque possunt
 extēdi ad illam. At Christus no-
 luit quòd per accidens eius be-
 neficium posset aliquibus in-
 culpabiliter nocere; ideòque
 impetrauit à Deo, vt quoties da-
 rentur ea opera bona naturalia,
 per quæ posset quis in naturà
 lapsà non eleuata mereri vita-
 tionem inferni, Deus ex meritis
 ipsius Christi daret gratiam suf-
 ficientem ad obtinendam vita-
 tionem Inferni quamuis con-
 nexam cum supernaturali bea-
 titudine. Et hoc modo cōmodè
 explicatur illud pactum cum
 Christo initum per aliquam cō-
 gruitatem, quæ nō includat me-
 ritum congruum gratiæ super-
 naturalis.

101 His positis facilè expli-
 catur quomodo Daniel cap. 4.
 sua-

suaserit vtiliter Nabucodonosori
vt eleemosinis peccata redime-
ret, quæ tamen eleemosinæ, vt-
potè erogatæ ab homine infi-
deli, erant actiones merè natu-
rales. Animaduertendum quo-
què est in hac re quomodo sit
explicandum quoddam effatū
S. Thomæ, qui 1. 2. q. 114. ar. 3.
loquens de bonis operibus no-
stris prout præcisè oriuntur à
libero arbitrio, & sic prout sunt
aliquid naturale, ait: *est ibi con-
gruitas propter quamdam equa-
litate[m] proportionis: videtur enim
congruum, vt homini operanti se-
cundum suam virtutem, Deus re-
compenset secundum excellentiã
sue virtutis.* Negat quidem ibi
S. Thomas congruitatem non
tamen eam negat, vt patet in
verbis citatis, ex defectu operis,
fed

fed

sed ex indignitate agentis Deo inuisi, propter peccatum antecedens: hanc verò Deus indignitatem remittit ex meritis Christi.

102 Igitur quamuis opera illa non habeant congruitatem meriti in ordine ad præmium supernaturale in eo sensu, vt vel totaliter, vel partialiter commensurentur cum illo, habent tamen aliam congruitatē, quam agnoscit D. Thomas in prædictis verbis. Et hæc congruitas in eo sita est primò quidem quod congruum est Deo vt sua liberalitate, eleuando genus humanum ad maximum bonum. Et hæc congruitas fundatur in ipsa bonitate diuina, & nullo modo in merito nostro. Rursum congruum est Deo, vt,
quan-

quandò non vult omnes proxime eleuare ad tale bonum, seligat potius illos, qui secundum suas vires melius operantur: non quia id ipsi mereantur positiuè; sed quia congruum est Deo seligere potius meliores, quam minus bonos. Eodem modo si Rex ex sua humanitate vellet ducere vxorem aliquam ex priuatis subditis; congruum esset, vt eligeret melius moratam, non quia foemina illa per tales mores meruisset connubium regium, sed quia supposita illa liberalitate decreta in genere, prudenteraget rex si meliorem seligat in illa classe.

103. Constat possibilem esse aliquam tentationem supra id, quod possumus; id enim infert Chrysost. hom. 24. ex illo Pauli

pri-

primà ad Cor. 10. *fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*, ex quo testimonio duo inferuntur: alterum est, hanc tentationem simpliciter dari posse; aliòquin nulla esset fidelitas Dei in ea impedienda, sicut non est fidelis in impedienda chimæra: alterum cum ea tentatione posse peccari; Aliòquin nullum esset Dei beneficium in ea non permit-tenda. Cum ergò nulla tentatio auferat omnino libertatem resistend, vt probat S. Thom. 2.2. q. 77. art. 7. & q. 89. art. 3. sine qua libertate non daretur peccatum; ideò certum est dari aliquam aliam potentiam ad operandum vltra libertatem vt sic, adeòque vltra potentiam physicam, de qua alia potentia aliquan-

qua
tur
rali
& c
tuir
gi
fiste
spe
eis
scil
spe
pos
re
tia
tal
dis
tur
ne
com
mo
tia

quando scripturæ, & PP. loquã-
tur: & hæc est illa Potentia mo-
ralis quã supra nominauimus;
& de qua disputare nunc insti-
tuimus. Quandò ergò Theolo-
gi asserunt neminem posse re-
sistere *tentationi graui*, sine
speciali gratiâ Dei, hæc ipsa ab
eis dicitur *tentatio grauis*, quæ
scilicet huiusmodi est, vt sine
speciali Dei confortatione non
possemus moraliter illi resiste-
re.

104 Non requiritur poten-
tia moralis ad peccatum mor-
tale. Constat id primò ex supra-
dicto loco Pauli, vbi non vide-
tur loqui de tentatione, in ordi-
ne ad peccatum leue. Secundò
constat ex eo quod Dammati
mortaliter peccant sine poten-
tia morali non peccandi. Aliò-
quin

quin illa potentia reduceretur ad actum identidem in tota æternitate. Tertiò, quia certum est apud Patres, & Theologos, esse beneficium Dei; vt quispiã possit obseruare moraliter omnia præcepta grauiam per totam vitam. Sed beneficium non est necessarium; ergò posset homo carere ista potentia: sed necessitas moralis disiunctiua peccandi aliquandò, importat necessitatem moralem determinatam peccandi in vltimo exercitio illius temporis, vt infra constabit; ergò hæc moralis necessitas dari potest in ordine ad peccatũ mortale, patrandũ pro aliquo certo instanti.

105 Neque dici potest id euenire posse in naturã lapsã in pœnam peccati originalis,

non

non autem in naturà pura. Hac enim distinctione vtì nequeunt quicumque nobiscum asserūt , naturam lapsam non distingui à pura per vllum defectum vitium naturaliter debitarum . Est verò in hac re magna difficultas, quoniam omnis lex non solum positiua , sed multò magis naturalis debet esse in bonū communitatis; aliòquin natura esset mala exigendo talem legē. Et porrò lex fertur non in bonū forentis , sicut præceptum domini erga mancipium ; sed in bonum subditorum . Et vniuersaliter certissimū est illud principium *ea sunt inhonestà , quæ expedit esse inhonestà*. Quo principio sublato magna daretur anfa opinioni Caliclis apud Plat. in Gorg. vbi disputat omnem

nem

nem legem esse naturæ contrariam, vtpotè ortam ex solo placito potentiorum; & Philosophiam esse ingeniorum corruptricem, vtpotè quæ ratiocinetur ad legem, non ad naturam. Neque tandem habemus aliud principium, quam prædictum, ex quo solui possint omnes quæstiones moralis Philosophiæ, vel Theologiæ super honestate, vel inhonestate naturali cuiuspiam obiecti. At melius esset legem naturalem non extendi ad casum, in quo eius obseruantia fit moraliter impossibilis; ergò re ipsa non extenditur ad talem casum.

106 Hæc tamen obiectio soluitur si consideremus non esse vtile, vt excipiantur à lege illi casus in ordine ad quos licet

lex

lex non fuisset ferenda, tamen
nisi illos comprehendat, fiet
inutilis in ordine ad alios casus.
Ita in re præfenti. Cum enim
moralis impotentia non fit ali-
quid euidens, & sub claram ex-
perientiam cadens, sicut est im-
potentia physica, utique homi-
nes plerumque in rebus diffici-
libus sibi blandirētur fingentes
impotentiam moralem, ubi nõ
esset, ac proinde committerent
sine scrupulo innumera scelera
contra legem naturæ, maximè
perniciosa reip. Satius ergò est,
ut sciant se in omnibus casibus
teneri quoties habent simplici-
ter libertatem.

107 Hoc tamen est discrimen inter legem naturalem, & positivam, ut quoniam illa prohibet obiecta multò magis noxia

xia reip. quam hæc, extendat
proindè iustè suam prohibitio-
nè ad casus longè difficiliore
ad quos bonum est legem posi-
tiam non etendi; quia grauius
esset nocumentum frequentia
inhonestatis ex frequenti voli-
tione; quam aliqua maior fre-
quentia talium actionum
ex eo quòd in illis ca-
sibus difficilli-
mis prohi-
bean-
tur.

